

tellectui nostro quàm arctissimè cognatus primum & expeditissimum articulum in numerando largitur, qui vicem Unitatis in omni multitudine, quatenus ab intellectu finito cognoscibilis est, sustinet, dum universa multitudo per quaterniones, tanquam per singulas unitates quasi multitudinarias, intelligitur constituta, juxta quas ad quadratam quoque rationem reductos quoscunque numeros magis quàm juxta veras unitates, rectà semper in immensum excrecentes, aestimare possumus, quod Logica Panosophica clariùs explicabit. Quo ipso, sicut unitas vera verum DEUM, omnimodè simplicem æquè ac infinitum refert; ita Quaternarius, unitas multitudinaria finita, sed infiniti repræsentativa, dicitur ἄλλη θεός, *alius* i. e. vicarius Deus: πολύθεος, *multitudinarius DEUS*, & πᾶνθεος *omnis multitudinis*, scil. à nobis rationaliter apprehensibilis, DEUS i. e. fons & radix.

Deinde (2) quoniam Quaternarius quasi materialiter spectatus totam Naturam à Divino Numine creatam pervagatur, dum omnia rerum genera Quaternario constant, quod Corpus Panosophicum clarissimè demonstrabit; igitur uti verus Deus, insensibilis & æternus, ipsà cujusque rei Essentiã abstractã intelligibili & æternã, tamquã unitate simplici & insensibili, repræsentatur; ita quaterna rerum genera, vel potius ipse Quaternarius, quo genera quævis constant, DEUS dicitur *sensibilis*, naturalium effectuum prout à nobis ex causis suis naturalibus deduci possunt, Fons, & Naturæ claviger.

Atque hæc potissimum argumenta fuerunt, cur nos arenam hujus disceptationis experiri, & nativam Tetractyos Pythagoricæ significationem tot lubricis interpretum glossis dilaceratam restituere conati fuerimus; rati scilicet nihil esse, cujus jacturam hoc in negotio facere possumus, esse tamen